

Anonymus
De universalibus

Editor: Vlad Ile

work in progress
06.07.2025

Manuscripts:

W1 Worcester, Cathedral and Chapter Library, F. 73

Project NOTA-ERC

⟨Q.1 Utrum commune sit omni
universali in quid de pluribus predicari⟩

Problema: utrum commune sit omni universali in quid de pluribus
5 predicari. Quod non arguitur: isti termini ‘Deus’, ‘sol’, ‘mundus’ sunt
universalia non de pluribus in quid predicabilia, igitur problema falsum.
Antecedens patet pro prima parte per LYNCOLNIENSEM et etiam
ARISTOTELEM, 1 *Posteriorum*, capitulo 5, ubi concorditer volunt
10 quod aliquod est universale quod non est actu communius quam suum
singulare propter quod AVICENNA contingere errare in assignatione
passionis suo subiecto primo. Et ratio hoc deducit cum ex hoc est
terminus universalis, quia significat confuse sua significata univoce
sub conceptu simplici absque circumstantiis individuantibus quomodo
significat termini nominati, igitur etc. Et quod tales termini non sunt
15 in quid predicabili de pluribus probatur. Non enim possunt predicari de
pluribus, sicut nec iste terminus ‘chimera’ saltem affirmative, igitur nec
in quid. Quomodo est ergo aptitudo ad illud quod non potest esse, nec
potuit esse. Hic petatur discriptio universalis et quid est predicari in
quid. Istud confirmatur per PORPHYRIUM, in capitulo De specie, quia
20 dicto Sophronisci† filius est individuum, si solus sit ei filius.

Item videtur quod iste terminus ‘universale’ foret universale, quod est
genus vel species, quia predicabilis in quid de pluribus numero vel specie
specialiter, cum intentio in anima essentialiter est universale. Si dentur
universalia ex parte rei eius, primo significatum est universale, cum
25 iste terminus ‘universale’ primo significet universale, et per consequens,
ille terminus est universale. Consequens† tamen falsum, tum quia tunc
illud foret species ad se, quia iste terminus ‘universale’, tum etiam quia
analogice predicatur de universalibus in predicamento substantie et in
aliis predicamentis, quia† iste† terminus ‘ens’, tum tertio, quia tunc
30 sufficeret ponere unum universale et non quinque.

Primo ad problema sic: ex problemate cum processu PORFIRII
sequitur quod omnia universalia sub quinario logice sunt ponenda.

1 de universalibus] fuit homo missus a Deo *add. in marg. W1* ; porphyrius *add. in marg. W1* 4 problema] *in marg. W1* 5 non] *p. c. W1* 15 de pluribus] *in marg. W1* 17 ad] a *add. sed del. W1* 31 primo] ad primum principale *add. in marg. W1*

Consequens falsum, quia quod sunt predicata quousque* est universale. Tum etiam quia tantum quatuor sunt predicata, secundum ARISTOTELEM, 1 *Topicorum*, et quod omne universale sit predicatum, sequitur quod tantum quatuor sunt universalia.

- 5 Item sic: diffinitio est universale cum univoce, in quid, vere et affirmative et directe sit predicabilis de pluribus sicut et sua species; et cum sex sunt† species†, nec genus, etc. etc. sequitur sex esse universalia, igitur non tantum quinque.

- 10 Item sic: si universalia sunt intentiones in anima, tunc accidens, quod est quintum universale, est commune ad omnia universalia, et per consequens tantum est unum universale; vel si sunt accidentia† extra, tunc quot sunt species rerum, tot sunt universalia, et per consequens, multo plura quam quinque.

- 15 Item sic: accidens et proprium coincidunt, cum omne proprium sit accidens, immo omne accidens est proprium, ut videtur cum alicui speciei competat et soli albedo in Sortem competit corpori in communi habenti principia ex quibus resultat albedo, quod corpus est species subalterna, igitur non tantum quinque sunt universalia.

- 20 Item sic: differentia est universale vel coincidens cum accidente vel cum genere vel cum specie. Iste terminus enim ‘rationale’ vel solum predicatur de homine, et tunc est proprium, vel de animale et homine, et tunc equivoce, et tunc non est universale; vel si equivoce predicatur de ⟨homine⟩ sive anima non connotando partem aliquam qualitativam, igitur nec connotat partem qualitativam hominis, et per consequens
25 predicatur in quid, quia vere et affirmative non connotando accidens homini, nec partem determinatam. Et ex isto sequitur quod differentia sit genus vel species cum in toto connotet cum diffinito vel genere, non enim connotat partem qualitativam rei, nec autem differunt, quia si connotaret partem qualitativam rei in oblico et totam substantiam in
30 recto, tunc indicaret complete essentiam rei, et omne tale est diffinitio, igitur etc. Istud confirmatur in exemplo, quia si iste terminus ‘rationale’ cognoscat rem habentem rationem tanquam sui partem quantitativam et iste terminus ‘animal’ non plus videret essenziale homini, igitur non

23 homine] *dub. W1* sive] *dub. W1* 26 quod] de universalibus *add. in marg. W1*

differunt.

“Omnis cognitio nostra intellectiva ortum habet a sensibus”. Ex hoc potest probari quod cognitio singularis est prior cognitione universali et hoc sic: cognitio sensitiva est cognitio singularis et cognitio intellectiva
 5 est cognitio universalis; sed cum cognitio nostra intellectiva ortum habet a sensibus, sequitur igitur quod cognitio singularis est prior cognitione universali, igitur etc.

Item, nullum est genus vel species, igitur oppositum problematis. Antecedens probo, quia tunc genus vel foret prius specie, vel eque primo
 10 cum specie. Quod neutrum sit verum arguitur. Et primo quod genus non sit prius specie, quia species et genus sunt correlativa, igitur simul natura. Patet consequentia per ARISTOTELEM in *Predicamentis*, capitulo De relatione.

Item si est prius sua specie vel igitur hoc est propter se, vel propter
 15 suum significatum; non propter se, quia stat utrumque esse tamen quod neuter sit prior altero; nec ex parte rei significate, quia res significata vel est res singularis vel res communis. Et certum est: nullum singulare prius est reliquo singulare in eodem genere in comparatione ad genus, quia nec
 20 iste asinus est prior isto homine, nec econverso saltem quantum ad esse, igitur non ex re singulari significata est prioritas inter terminos causata, nec si detur res communis. Probo, quia quodlibet tale commune est causatum ab eius speciebus, igitur posterius, sicut enim prius naturaliter sit homo quam sit animal, quia ex hoc quod sit homo sit animal, quia
 25 aliter non per se foret homo animal et conformiter naturaliter prius est homo esse quam animal esse, et per consequens species quam genus etc.

Ad oppositum, sic: genus est principium speciei, ut patet per PORPHYRIUM, capitulo De genere, igitur prius specie.

Item, illud est prius a quo non convertitur subsistendi consequentia, igitur genus est prius sua specie.

30 Item genus est pars speciei, igitur prius specie. Antecedens patet per PORPHYRIUM, capitulo De differentia, ubi dicit quod homo communis

11 natura] per *add.* W1
 29 sua] *iter.* W1

19 iste] de universalibus *add. in marg.* W1

et specialis fit genere et differentia, sicut statua exere et figura, igitur etc.

Item sequitur quod iste terminus ‘animal rationale’ foret genus, sicut dicit PORPHYRIUS. Consequens falsum, tum quia non est animal
 5 rationale preter hominem. Supracelestia enim non sunt animalia propter tria. Primo, quia omne animal habet sensum tactus, ut dicit ARISTOTELES in 3 *De anima*. Omne etiam animal est organicum, vide *Historiis animalium*, qualia non sunt supracelestia. Tertio, quia
 10 corporale et incorporale differunt plus quam genere, 10 *Metaphysice*, et per consequens, si animal rationale predicaretur de illis, diceretur animal univoce vel equivoce.

Item destructa ista intentione in anima stant omnia individua inesse, sed destructo genere destruitur quodcunque eius individuum, igitur illa intentio in anima non est genus, et per consequens, nulla
 15 intentio in anima est universalis. Et maior patet ex hoc quod anima non continente destruitur intentio, qua non continente constant omnia individua esse. Minor patet, nam destructo genere non manebit species, et per consequens, nullum eius individuum.

Item sic: accidens denominat suum subiectum, ut albedo album, 20 sed universale nullo modo denominat intellectum, quia intellectus non dicitur universalis ab illa intentione, igitur non est accidens, et per consequens, non est intentio in anima, et per consequens, non est.

3 item] *iter. in marg. W1*
 hic *add. sed del. W1*

12 item] *iter. in marg. W1*

16 destruitur]